

fundavit; filiumque habuit suum primogenitum Dominum Michaëlem de la Pole Comitem Suffolcie, qui dictum monasterium per Carthusienses fecit inhabitari. Ipse quidem Willielmus de la Pole multa millia librarum auri Regi Edwardo accommodavit dum apud Andewerp in Brabantia moraretur. Quapropter Rex in recompensationem dicti auri prefecit eum Baronibus Scaccarii sui, totumque Dominium de Holdernes una cum aliis terris dignitati Regie spectantibus per Cartam Regiam ei contulit, & precepit, ut pro Baneretto haberetur. Si tamen quis hæc dubitet, persuadeant, uti spero, archiva Regia, in quibus diserte Guilielmus De la Pole dilectus, valectus, & mercator noster vocatur. Valectus, ut semel doceam, eo seculo tam in Gallia, quam Anglia honorifica fuit appellatio, sed postea aptata servis, unde cum repudiaret nobilitas, mutato nomine Nobiles à cubiculo dici ceperunt.

Cl. E. R.
3 M. 28.
Valectus
qui &
Valettus.
I. Tilius.

Ocellum
Holder-
nesse.

Headon.

* Lincol-
nia.

Præto-
rium.
Patrin-
gron.

* Pids
Wall.

Winsted.
Barones
de Rosse.
Raven-
spur &
Ravens-
burg.

Ab hac urbe promontorium avido procurfu in mare se emittit, quod OCELLVM Ptolemæus, nos Holdernesse, & Monachus quidam Cavam Deiram, quasi Cavam Deirorum regionem vocat, eadem significatione qua Cælosyria, id est, Syria cava, nominatur. In hoc primum occurrit sinuoso in littore Headon, olim, si famæ veri amplificatrici credere libet, (nec fidem ego abnuam) mercatorum & rei nauticæ industria ad summam dignitatem evecta, à qua, ut locorum non minus quam hominum incerta est conditio, ita decidit Hulli vicinitate, & portus obstructione exhausta, ut vix tantillum pristini splendoris præ se ferat. Etsi Ioannes Rex concessit Baldwyno Comiti Albemarle, & Holdernessie, atque Howisiae ejus uxori liberum hic Burgagium, ita ut Burgenses tenerent in libro Burgagio illis consuetudinibus quibus Eboracum & * Nichol. Nunc tamen ad pristinae dignitatis spem paulatim reviviscere incipit. Deinde promontorio adfider antiquum oppidum, quod Antoninus PRÆTORIVM dixit, sed nostra ætas Patrington, ut Itali ex Prætorio oppido etiam Petrovina fecerunt. Hic me falsum non esse & distantia à DELGOVITIA & ipsum superstes nomen probat, quod etiam quodammodo innuit, hoc idem esse quod in Ptolemæi exemplaribus PETVARIA pro Prætorium corrupte concipitur. An vero hoc nomen acceperit, vel ex Prætorio ubi jus diceretur, vel ex laxo aliquo, & magnifico ædificio, cujusmodi Prætoria etiam à Romanis vocabantur, non constat. De vetustate autem sui & portus olim opportunitate gloriantur incolæ, nec de amœnitate minus gloriantur, amœnissimo enim fruitur prospectu, hinc Oceanum apertissimum, illinc suis littoribus nobile æstuarium conclusum, & viridantes Lincolnienfis agri oras è regione prospicit. Militaris Romanorum via * à Vallo, quam primum Antoninus persequutus est, hic terminatur. Ad mare enim, flumina, aut urbes ejusmodi publicas vias terminari scripsit Vlpianus. Inferius sedet Winsted habitatio Equestris familiaris de Hildeard, superius Rosse, unde nomen assumpsit, & sedem olim habuit, illustris profapia Baronum de Rosse, & ad mare Grimstongarth, ubi Grimstoni diu claruerunt: parumque hinc distat Rise, domus quondam nobilium qui de Faulconberg appellati. Inde in ipsa promontorii lingua, qua maxime in conum contrahitur, & Spurnhead

Britannia.

dicitur, KELLNSEY visitur viculus, qui plane loquitur hoc ipsissimum esse OCELLVM Ptolemæi, nam uti ex OCELLO Kellnsy deducitur, ita Ocellum proculdubio ab T-kill factum est, quod Britannis Promontorium, sive angustum terræ tractum significare jam ante diximus.

Kellnsy.

Ab OCELLO littus sensim se retrahit, & moliter incurvum ad Septentriones pergit per Overthorne & Witherensy ecclesiolas, à fororibus quæ construxerunt, Sifers-kirks appellatas, nec procul à Constable-Burton à Dominis sic dicta, qui honoratissimis familiis per nuptias conjuncti summa dignitate hodie florent, & è quibus Robertus, ut in libro Monasterii de Meaux legitur, unus de militibus Comitis Albemarie, qui cum Rege Richardo versus terram Sanctam profectus senex & plenus dierum cruce signatus. Inde per Skipsy, quod Drugo primus Holdernessie Dominus castro firmavit. Vbi littus iterum in altum provehi incipit, sinumque admittit, Ptolemæo

Sifers-
kerkes.
Consta-
ble.

EVAIMENON GABRANTOVICORVM, quem Latinorum interpretes alii PORTVOSVM SINVM, alii SALVAREM verterunt. Quorum neutrum vim Græci verbi melius exprimit, quam viculi nomen in ejus recessu, quem Suerby vocamus. Quod enim tutum, & periculo vacuum, id Britanni & Galli Seur dicunt, uti nos etiam Angli, qui forsitan à Britannis illum hausimus. Non est ergo cur ambigamus hunc ipsum fuisse EVAIMENON GABRANTOVICORVM, qui in vicinia habitavit.

Sinus salu-
taris.
Suerby.

Iuxta est Bridlington oppidum, notissimum Ioanne de Bridlington vate monastico, in cujus vaticinales rhythmos omnino ridiculos incidimus. Nec procul hinc longo tractu versus Drifield fossa ab Holdernessie Comitibus ad terras determinandas producta fuit, quam Earles dike vocarunt. Vnde autem hic popellus GABRANTOVICI nominati fuerint, rimari non ausim, nisi forsitan à capris, quas Gaffran Britanni vocant, & quarum non alibi in Britannia major copia inveniatur. Nec hæc absurda nominis notatio videatur, cum Ægita Aehajæ à capris, Nebrodes Siciliae à Damis, & Boetia Græciæ à bobus nomina mutentur. Promontoriolum quod suo flexu hunc sinum effecit, Flamborough head vulgo, Saxonice Fleam-burp ab authoribus dicitur, qui Idam Saxonem harum regionum primum domitorem ad hoc appulisse memorant. A Pharo nomen sumpsisse credunt nonnulli, quæ noctu ad portum illum indicandum flammam prætenderit. Flam enim è lingua provinciali Britanni etiamnum retinent, & hoc flammato capite in chartis suis Hydrographicis depingunt nautæ. Sunt tamen qui existimant hoc nomen ex Angloen Danicæ, avita Anglorum sede, in hanc insulam devenisse (ibi enim est Flemsburg oppidum) Angloque inde sic nominasse; quemadmodum Galli, authore Livio, Mediolanum Italiae appellarunt à nomine relicti ab eis in Gallia Mediolani. Flamborough enim viculus in hoc promontorio dicitur, unde originem habet altera nobilis familia Constabulorum, ut vocant, quam à Lacis Cestriae Constabulariis deducunt nonnulli. Nihil certe hoc in loco percunctando accepi de rivis illis (Vipsis vocant) quos cæsis fontibus emanare alternis annis, magnoque & torrenti impetu mare petere juxta hoc promontoriolum scripsit Gualterus Heminburgenfis. Habe tamen quod de illis

Gabran-
tovici.

Flambo-
rough
head.
Ida.

Flambo-
rough.
Constable
de Flam-
borough.
Vipsis
aquæ.

Ccccc scribit